



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Quòd illiteratus, & aliquo membro imminutus prouehi non debeat. xviii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Quòd illiteratus & aliquo mēbro imminutus prouehi ad sacros ordines non debeat. Cap. XVIII.

Illos quoque, aut aliqua parte corporis imminutos, nullus præsumat ad clerum prouehere. Quia nec literis carens, sacris esse potest aptus officiis, & vitiosum nihil Deo prorsus offerri, legalia præcepta sanxerunt. Si- militer qui seipfos abscindunt.

De filiis concubinarum. Cap. XIX.

De his qui ex concubinis filios habent, & vxores legitimas, posthabuerunt, & defunctis vxoribus sibi concubinas publicè sociant, id obseruandum censuimus, vt si- cut eos, qui iam clerici per ignorantiam ordinati sunt, nõ remouemus, ita statuimus ne vltèrius ordinentur.

Vt dæmonibus similibusque passionibus irretiti, sacra tractare non debeant. Cap. XX.

Vsque adeò sanè comperimus illicita quæq; prouehere, vt dæmonibus similibusq; passionibus irretitis mysteria sacrosancta tractare tribuatur. Et post pauca: Si corpore sauciatũ aut debilem nequaquã sancta contingere lex diuina permisit, quanto magis doni cœlestis dispensatores esse nõ cõuenit, quod est deterius, mēte percullos.

Vt de seruili cõditione, nisi prius à dominis propriis libertatè habeant, nulli ordinentur. Cap. XXI.

Ex concil. Triburic. cap. 25.

Vt nulli de seruili conditione ad sacros ordines promoueantur, nisi prius à dominis propriis legitimam libertatem consequantur. Cuius libertatis charta ante ordinationem in ambone publicè legatur, & si nullus contradixerit, ritè consecrabuntur. Porrò seruus non canonicè consecratus, postquam de gradu deciderit, eius sit conditionis, cuius fuerat ante gradum.

De eadem re. Cap. XXII.

Ex decre. Leonis pa. cap. 1.

Admittuntur passim ad ordinè sacrum quibus nulla natalium, nulla morum dignitas suffragatur: & qui à dominis suis libertatem consequi minimè potuerunt, ad fastigiũ sacerdotij, tanquam seruilis vilitas hunc honorem iure capiat, prouehuntur: & probari Deo posse creditur, qui domino suo necdum probare se potuit. Et post pau-